



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Francisci Chiffletii, Vesontionensis, Societatis Jesu  
Presbyteri, Opuscula Quatuor.**

**Chiflet, Pierre François**

**Parisiis, 1679**

X. Mors Guidonis, fratris ejus primogeniti, in Pontiniaco, nocte festi  
Omnium Sanctorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9409**

X. Mors Guidonis, fratris ejus primogeniti, in Pontiniaco, nocte festi Omnium Sanctorum.

**S**ENIOR frater ejus Guido, dum cum eo à Bituricensi territorio redit (novam quippe illuc deduxerat Abbatiam) febre acutâ correptus, diebus paucis Pontiniaci infirmatus est: & ipsâ nocte quâ Sanctorum Omnium festivitas agebatur, felici eorum consortio meruit aggregari.

Manrique in Annalibus Cisterciensibus, ad annum 1136. Guidonem S. Bernardi fratrem primogenitum obiisse dicit Pontiniaci: & eodem anno meminit deductæ Abbatix Nigrilacus in territorio Bituricensi; de die obitus tacet. Herbertus Turritanus Archiepiscopus à nobis editus, in S. Bernardi genere illustri, libro 2. de Miraculis, cap. xi. Cùm, inquit, S. Bernardus audisset aliquando, quemdam de filiis

222 *Excerpta de vita S. Bernardi.*


» suis spiritualibus, virum bonum & re-  
» ligiosum, missum ab eo in Norman-  
» niam, desperatâ ibi ægritudine laboran-  
» tem, decrevit mittere, & reducere  
» eum ad se, ut devotus frater in nidulo  
» suo moreretur, & desideratâ sibi sepul-  
» turâ non privaretur. Verumtamen qui-  
» dam de fratribus ejus carnalibus, no-  
» mine GUIDO, nitebatur huic obviare  
» consilio; quia cùm esset unus de pro-  
» visoribus Clarævallis, intendebat ( ut  
» credo ) parcere sumptui & labori. Qui  
» cùm pertinaciter hujusmodi dissuasioni  
» insisteret, dixit ad eum beatus Bernar-  
» dus: Numquid major est tibi cura de  
» pecuniâ vel jumentis, quàm de fratri-  
» bus tuis? Quia ergo non vis ut fratres  
» nostri nobiscum requiescant in valle  
» istâ, nec tu ipse requiesces in eâ. Et  
» factum est ità: nam isdem Guido, quan-  
» quam aliàs vir bonus & religiosus fo-  
» ret, tamen ut sermo Sancti impleretur,  
» non est consummatus in Claravalle;  
» sed apud Pontiniacum præventus ægri-

OPUSCULUM IV. 223

tudine lecto decubuit, ibique dispo-  
nente Deo & terminum vitæ, & se-  
pulturæ locum accepit. *Hactenus*  
*Herbertus.*

Chrysofomus Henriquez in Me-  
nologio Cisterciensi Guidonem ait  
morte præventum Pontiniaci quinto  
Idus Maii. Dignior fide Gaufridus,  
qui Kalendis Novembris, nempe in  
festo Omnium Sanctorum, Guidonem  
disertè asserit, illorum fuisse consortio  
aggregatum. Sed typographi crasso er-  
rore, in eodem Menologio ad nonam  
diem Decembris hæc habentur: *Nam*  
*de Guidone in ipsa Divi Patris historiâ*  
*legitur, illum in Firmitate vitam fini-*  
*visse, & ibidem secundum Bernardi pro-*  
*phetiam locum sepultura accepisse. Lege,*  
*in firmitate detentum Pontiniaci vitam*  
*finivisse, &c.* Ipse Henriquez ad XI.  
diem Maii; *Cum Pontiniaci ultimum*  
*ageret spiritum idem Guido, & tunc in*  
*Claravalle existeret sanctus Bernardus,*  
*convocatis Monachis suis, Guidonis obi-*

224 *Excerpta de vita S. Bernardi.*  
*tum jam instare indicavit: & post paulu-*  
*lum sereno vultu & placido ore dixit:*  
*Fratres, rogate Guidonem ut oret pro*  
*nobis; jam enim id potest, & eo loco*  
*est ut possit. Et post mortem non semel*  
*visus est in magna gloria.*



**APPENDIX.**